UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| & Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia confecti

**Plutarchus**

**Francoforti ad Mœnum, 1592**

In Demosthenem ab interprete annotata

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-360

Visual Library

quos adulatus turpiter fuerat, iusta morte affectus periit, cùm & ante molestus iis esset, & tunc criminis, quod nulla excusatione dilui posset, conuinceretur. Interceptæ enim fuerunt literæ eius quibus hortabatur Perdiccam, vt Macedoniam inuaderet, & Græcos seruaret, à putri & vetusto filo (sic Antipatrum appellabat) pendentes. Propter hoc Dinarcho Corinthio accusante eum iratus Casander, filium eius in sinu patris iugulauit, atq; ipsum tandem etiam necari iussit: experientem tum summa in calamitate, proditores primos omnium seipsos vendere. quod sæpe prædicenti Demosthenis fidem non habuerat. Habes, Sossi, Demosthenis vitam ex iis quæ vel lectione vel auditione accepimus conscriptam.

## IN DEMOSTHENEM AB INTERPRETE ANNOTATA.

*PHilippi & Alexandri Magni ætate vixisse Demosthenẽ Athenienſem oratorem, neq; multo post huius obitum tempore periisse, res est non obscura.*

*Prouerbium.* 1 Delphinis in tellure vis.) *Posterior est pars senarij versus. Continet autem prouerbium. Nam delphinus pisces est prævalidus, & qui in mari plurimum possit: in terra nihil valet. Ita, inquit Plutarchus, se fortassis haud parum in rebus Ciceronis & Demosthenis gestis posse iudicandis: de facundia autem minime valere iudicio, cuius rei causas attulit. Possumus vti hoc versiculo, quoties rem nobis inauditam ea ratione recusamus, quod ad eam peragendam vires nobis aut peritia desit: aut ea à natura nostra, vel instituto sit aliena. Non abludit ab adagione apud Liuium, relato, Cantherium in fossa.*

καλοὶ κἀγαθοί. 2 De optimatibus fuit ciuibus.) *τῶν καλῶν κἀγαθῶν. καλοὶ κἀγαθοὶ ciues apud Athenienses erant ij, quales Romani vocant optimates, à plebe seiuncti, & in repub. priores. Sic sæpe Thucydides, sæpe Plutarchus, præsertim in Pe-*

in Pericle. Quod dico, vt intelligas non tam vitæ hic quam ordinis in repub. rationem indicari. Cic. lib. 1. de Officiis videtur optimum quẽq; vocare eum, quî hic est καλὸς, καὶ ἀγαθὸς. Ex quo (inquit) euenit, vt alij populares, alij studiosi optimi cuiusq; videantur, pauci vniuersorum. Locus Aeschinis, qui mox citatur, est in nobili illa aduersus Ctesiphontem oratione.

3 Platonis Demosthenem Oratorem.] Hoc idem grauissimus autor Cicero affirmat, non vno loco: vt in præfatione Officiorum, & initio Oratoris, in Bruto, & primo de Oratore libro.

4 Lamacho Mirrhenæo.] In Græco enim est, μιῤῥωαίυ. malim, vt alibi legitur, μυῤῥωαίυ, aut potius μυῤῥιναίυ. Est autem Myrrhine, μυῤῥίνη, vrbs Aeolidis. Myrrhenam nullam, neque Mirrhenam noui. itaq; non habeo quod statuam.

5 Rhopoperperethram.] ῥωπωπερπήθραν est in Græco libro, atq; ita video ab omnibus legi. Sed vt ea vox exponi possit, nondum video: mihi enim fasciculi isti non probantur vel verborum vel sarmentorum. Sequor autem Varinũ, qui ostẽdit, παρὰ τὴς ῥωπωπερπερᾶς, factum esse vocabulum ῥωπωπερπερπήθρα, sicut à λάκυλος fit λακυλήθρα. Idẽq; Eustathiũ scilicet secutus, exponit ῥωπωπερπερὼ significare inanes & futiles nugas. Nota sũt πέρπερος, περπέρδα & περπερπερεύεσθαι. ῥῶπαι, inutiles & viles res, seu merces significãtur: quales vulgo multæ circumferuntur, non ad instruẽdos aliqua vtilitate, sed emungendos pecunia homines, leues præsertim, & curiosos, paratæ: & ῥωπικὰ etiam in Lycurgo Plutarchus eodẽ modo dixit: estq; venustũ Eratosthenis dictũ, τὼ φύσιν ὀλὲν ἔχειν ῥωπικὸν. itaq; ex τῶν ῥώπων καὶ περπέρων componitur ῥωπωπερπερὴ, elegantiter trãslatione inanẽ loquacitatem ac temerariam explicans: (quo in genere Comici solebant ludere, & quale notum illud κομπορραπελλοῤῥήμων) ῥωπωπερπερὴ.

λοῤῥήμων) atq; ab eo παραγωγὴ sit ῥωπωπερπερήθρα: quo modo hic legendū omnino puto. quando & Eustat. in v. Iliad. hoc ipso vocabulo notari futiles & garrulos testatur, inquiens: ἐκ τούτου ῥωπωπερπερήθρά τις προσερρήθη (nimirum Demosthenes) ὅτι ψυδαιότητι καὶ φλυαρίᾳ σκωπτόμενος. Simile huius est illud ῥωποσωμυλήθρα, obiectum Eubulidæ Milesio, Euclidis sectatori, à quodam Comico, apud Diogenem Laertium lib. 2. Apud Suidam est ῥωμβοσωμυλήθρα.

6 Assurgit ensis.] Apparet in Græco esse Iambicū senarium hoc quidem loco. nam in Phocionis vita pro ἄνιστατο, legitur παρέστη: atq; ita versus ratio tollitur. Itaq; vt satisfacerem & iis qui versum esse iudicant, & iis quibus aliter videbitur, versu reddidi. sed qui in oratione stare posit.

7 Aesionem.] Appionem legitur in vita Demosthenis hac cum Demosth. impressa.

8 Tum Daochum, Thessalum, & Thrasydeū.] Ita legit & Aretinus, & Amiotus. Hieronymus Vuolfius, vir doctissimus, & quem amicitiæ honorisq; causa nomino, in huius vitæ versione, locum hūc Asterisco notauit, quod particula ὃ post μακέδονας, omnino aliquid diuersi videatur significare, id quod tamen verba non explicent, loco scilicet mutilo. Cuius ego coniecturam eatenus probo, quatenus Daocho & reliquis epitheton deesse censuit: Thessalos autem Daochum & Thrasydæum affirmare non possum. Historiam (vt obiter moneam) qui plenius & expressius legere cupit huius belli, Diodorum Siculum, vel Gemisthi paralipomena cum Herodoto Basileæ impressa euoluat.

9 Demosthenes Demosthenis.] Iambicum trimetrum, & alterius caput verba Græca efficiunt: atq; in Græco etiam ita distinguenda sunt, vt carminis ratio appareat. ὑποκρέειν ego accipio, mensuram carminis vel manus: vel quod huic magis quadrat, pedum motu exprimere. quod nos vulgo die Mensur schlagen, dicimus.

10 Margiten

10 Margiten nominabat.] *inertem, & nullius precij stolidumq; hominem. Meminit eius ex Homero Aristoteles, atq; Clemens Alexandrinus. Vide Erasmi Chiliad. de Margite.*

11 Phylarchus.] φύλαρχος, *alibi: & in hac vita aliàs cum Demosthene impressa* φίλαρχος. *Sed hoc rectius est. Aretinus Phalereum legit. Idem* γάλα ὄνειον *vertit venale, quasi si idem essent* ὤνιον *&* ὄνιον.

12 Commento eluserunt.] ἐξηφίσαντο πρὸς τὸν νόμον. ἐσοφίσαντο *legendum, non ex altero modo exemplari, sed palam ex sensu constat.*

13 Calauria.] *hæc aliquando* καλαβρία *scribitur, ob affinitatem literarum, vt* αὖρα *&* ἄβρα. *nam vitiosa pronũciatio hæc inuexit: sicut id quoq;, quod* β *fere in scriptis libris figura nostro u simili exprimitur.*

## PLVTARCHI CICERO GVIlielmo Xylandro Augustano Interprete.

MATREM Ciceronis Heluiam & honesto loco natam, & honestam egisse vitam perhibent. De patre eius diuersissima tradũtur. Quidam in officina fullonis & natum fuisse, & educatum ferunt. Alij genus eius à Tullio Attio repetunt, nobili Volsco rum rege. Qui primus eius familiæ Ciceronis cognomentũ tulit, videtur vir haud contemnendus fuisse: itaque ne posteri quidem eam appellationẽ repudiarunt, sed amplexi sunt, quanquam vulgo rideretur. A cicere enim trahitur: & primus Cicero ita cognominatus fuit, quod in extremo naso fissuram obscuram, qualis est in cicere, haberet. Ipse autem Cicero, de quo hic scribimus, cum primum ad remp. se contulisset, & magistratum ambiret, suadentibus amicis vt cognomentum illud fugeret atque mutaret, fertur iactantius dixisse, Contenturũ se, vt nomẽ Ciceronis quam esset Scaurorum & Catulorum glorioſius efficeret. Et quæstor in Sicilia, cum donum argenteum Diis dedicaret, M. Tullium inscripsit,

1 *Genus.*

2

3